DE
N O M A.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT ET

DIE XXVI. MENS. AUGUST. A. MDCCCLIV. H. X.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRID. LUDOVICUS GUISCHARD

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

O. GUERICKE, MED. ET CHIR. DR.

RICH. TRIEBEL, MED. ET CHIR. DD.

HALIS SAXONUM

TYPIS HEYNEMANNIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO SUMME VENERABILI

DILECTISSIMO

OTTO RICHTER

AFFINI SUO

HASCE PAGELLAS

SUMMAE ET REVERENTIAE ET AMICITIAE
DOCUMENTUM

PIO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Praefatio.

Quum de perscribenda dissertatione inaugurali cogitarem diuque haesitarem in eligenda re huic consilio satis apta, evenit ut in huius urbis nosocomio clinico chirurgico, quod sub auspiciis atque cura ill. Blasii venerabilis nostri praeceptoris, praeclaram adeptum est famam, infantulus noma affectus curae meae commendaretur ac quum iam diutius in morbis infantium cognoscendis et curandis peculiare studium collocassem, hoc de morbo his in terris tam raro, contra cuius pestilentiam medicina saepissime minus valet, disserere visum est. Sectionis instituendae facultas — quod valde dolendum — mihi data non est; quare factum est, ut complures res

graviores cognoscere non possem itaque etiam dissertationem meam in universum de noma conscriberem; e quibus studiorum primitiis quam exigua in lectorem redundet utilitas bene scio itaque quae minus docte disputata deprehenderitis ne acerba vituperatione perstringatis sed ut tironi largiamini vehementer rogo.

Hic de quo disseremus morbus quique nasci solet imprimis in regionibus paludum et aquarum plenis, diu plerisque Germanicis medicis erat ignotus. Hollandici vero, qui jam multo prius eum cognoverant, optimas de ejus natura commentationes exhibuerunt. Est tamen etiam a Germanicis prioris aetatis medicis morbi mentio facta, ut utar exemplis, a J. V. Müllero in compendio medicinae practicae, Francof. et Lips. 1788, et a Boissier de Sauvages in nosologia methodica, ed. a C. F. Daniel, Lips. 1797. Hi utuntur nomine necrosis infantilis, et intelligunt duo gangranae infantilis genera, genarum dico et labiorum pudendorum gangraenam, tertium vero genus, gangraenam cutis neonatorum, quasi alium morbum describunt, quamquam horum trium omnium naturam eandem, omnesque gangraenas esse putabant. Dein Aug. G. Richter Goettingensis, qui canceris aquatici descriptionem praestantissimam composuit, unam tantum nomae formam illustrat, scorbuticam quae vocatur, ac sto-

macace nomine fere eodem sensu utitur quam noma. Nostro vero tempore quum necrosis usurpetur de sola ossum carie sicca, Aug. L. Richter ut notiones clare distinguantur commode cariem organum mollium, sive sicca est sive humida, Martini praeeunte gangraenam vocavit, eumque morbum, si infantes eo affecti sint, infantilis epitho significavit. Sed vocem eam tantum ob causam laudat, quod gangraenae infantilis infantia non minus quam senilis gangraenae senectute diathesis interdumque etiam causa morbi contineatur, quamquam diversa quibus morbus efficiatur subiecta sint momenta.

Richter tria hujus morbi posuit genera, 1) cancerem aquaticum s. nomam, 2) gangraenam orificii vaginae puellarum, s. sphacelum labiorum pudendi, 3) gangraenam cutis neonatorum. Quum unius tantum generis accuratius observandi occasio mihi data esset, etiam hoc solum in dissertatione illustrabo; quod genus est primum, cancer aquaticus s. noma.

Cancer aquaticus s. noma.

Noma vox referenda est ad Graecum vocabulum νομή, ulcus purulentum significans; atque intelligitur is infantulorum morbus quo labia, genae, proximae partes, gangraena quadam celeriter crescente corrumpuntur. Ac signa vitii esse solent gravis imbecillitas, languor, sitis, nullus ciborum appetitus, alvi plerumque fluxus, interdum adstrictio. Infantes vagire et ejulare solent nulla causa apparente. Levioribus dein febribus accidentibus si accuratius res consideratur, initium dissolutionis cernitur. Aliquo cavi oris aut exterioris genae membranae loco nascitur albida, rubicunda, saepius etiam subnigra vesicula vel nodulus, circumjecta tela cellulosa dura facta tumescit, nullis tamen inflammationem efficientibus signis demonstratis. Superjecta membrana pallescit, et ut piguedinea nitet; glandulae auris et colli crescunt, papulae augentur et postremo rumpuntur, ichor subniger effunditur, affectus locus mortificatur, conditio sphacelosa latius pergit, ita ut omnia discedant in rancidam tetram pulpam. Plerumque autem haec

signa initio difficillime cognoscenda sunt, et vitium tum demum inveniri solet, ubi jam aliquam magnitudinem adeptum est. Proximo et superiore die salivatio profusa esse potest; sed tumor genae primum signum esse solet quod vitium demonstrat et ad sanandum adhortatur. Atque hic tumor propria fit ratione, nam non solum tumescit tegumentum, colore non mutato, quod saepius videmus exorta ulcerosa stomatitide, sed gena est rubicunda, intensa, splendens, quasi oleo oblita, in media ejus parte est macula rubicundior, ipsa gena dura est idque saepissime ita ut os ad cognoscendum non satis aperiri possit. Atque omnes telas, e quibus gena constet morbo crescente affici a nemine negatur, ubi vero vitium exoriatur, ea de re viri docti dissentiunt. Primum Rilliet et Barthez membranam pituitariam esse eam partem censent, quae prima corrumpatur, idque etiam iis probatur, quae nuperrime Albers Bonnensis hac de re accuratissime observavit, atque etiam in eo morbo, cujus cognoscendi facultas mihi ipsi data est, sine dubio in membrana pituitaria vitium initium ceperat. Löschner dein Pragensis posse quidem concedit vitium exoriri in hac membrana, saepius autem in ipsa genae substantia id fieri contendit. Idem se invenisse tradit, primum morbi initium contineri tumore, nucleo centrali in gena exorto, qui circumdatus sit tela intensa et elastica, sed parum firma, sensim in legitimam substantiam transeunte. Ulcerationem vero po-

stea fieri et secundarium vitium exsistere, postquam propria hac ratione genae tela cellulosa inducta sit. Verisimile est morbum mox hac mox illa ratione incipere; ac fere semper vitium unam tantum genam afficit, interdum vero pergit ad labium inferius, aut in eo orditur. Labium superius saepius inficitur, núsquam autem primum morbo corripitur. In interni genae lateris loco illi rubori respondente altum ulcus invenitur, marginibus sine lege serratis ac fundo fusci et immundi coloris. Proxima huic ulceri gingiva est pulla, tecta humore ex ulcere secreto, partim jam corrupta ita ut pateant alveoli. Interdum dein, praesertim quum morbus jam ulterius processit, non invenitur punctum ulceratum, sed totum genae internum latus sordidam nancidae corruptionis speciem praebet, et carptim laciniae corruptae membranae pituitariae dependent. Genae affectione latius crescente, simili ratione gingiva quoque corrumpitur; laxi dentes paullatim omnes excidunt; maxillae processus alveolaris in majore vel minore latitudine vitalitate privatur, quin interdum ascendentis rami pars necrosi afficitur. Saliva profuse secernitur, et ex ejus qualitate mutationes quae crescente morbo eveniunt, cognoscuntur. Primum enim pura est, sed male olet; dein autem fit turbida, et rancidis telis quas transit sordido colore caeruleo vel subfusco inficitur, et vel peius olere incipit. Eodem tempore in exteriori genae latere mutationes non negligendae fiunt: rubor et

tumor magis magisque crescunt et vis eorum augetur. Medio in tumore exsistit parvula macula nigra velociter crescens, quae circuli formam retinet et sextantis, trientis, bessis (assis libral.) magnitudinem assequitur interdumque superat; peripheria autem ulceris semper tam rotunda est, ut circulus descriptus esse videatur; is dein rubicundiori annulo cingitur, gangraena ulterius non procedit, substantia gangraenosa segregari incipit. Gangraena fere semper humida est, rarius nonnullae particulae indurantur. Si dein gangraenosa pars secernitur, sanguis non profluit. Interdum corruptio intra paucos dies usque ad frontem pergit; genae, alae nasi, palpebrae dissolvuntur, quin saepe collum et pectus afficiuntur. Ciborum appetitus et sopor inter morbum saepe non minuuntur, donec exsistat febris putrida, et diarrhoea colliquativa, sanguinis profluvium, imbecillitas, sopor, delirium ct. nascantur. Plerumque mors advenit priusquam gangraenosa substantia segregata est; idque feliciter sic evenit, nam etiam proximae partes tum in ichorem mutantur. Tum internum oris omne detectum est, membrana pituitaria et substantia genae carptim de nigratis partibus dependent, speciem praebentes miserrimam, quum vix ferendus mortificatarum partium foetor aegrotantis infantuli curam non minus difficilem quam tristem reddat. Ea tantum res prospera adest, quod conditionis miseriae raro doloribus augentur, qui ab initio non graves esse

solent. Aegroti plerumque somno gravati sunt, — quamquam inquietae noctes intercedunt — ac si eodem tempore typho laborant, deliria durare solent. Pulsatio crescente morbo minuitur et valde acceleratur. Interdum infantulus, etiam si iam nigra eschara gangraenosa exorta est, ad tempus exhilaratur et optimo ciborum appetitu vel paulo ante mortem utitur, quae plerumque placida, interdum convulsionibus praemissis accedit.

Nomae, cum inter varios alios morbos exortos nascatur, ea tantum vitii signa propria sunt, quae in ipso affectionis loco apparent. Glandulae lymphaticae quae in superficie quaeque altius sitae sunt in affecta parte amplificantur, genae tela cellulosa sero impleta est cuius copia prope ulcerationem maior est. In gangraenosa substantia singulae partes iam bene discerni nequeunt; vasorum vero sedes et nervorum ductus videntur. Ac causam haemorrhagiae saepe brevi mortem afferentis contineri censent arteriis per coagulum prope gangraenae finem exortum obturatis. In uno aegroto Rilliet et Barthez radicem lingualem, tonsillas, gulam, ambo epiglottidis latera, oesophagum denique in digitalem longitudinem satis firma, flava, lineae crassitudinem habente, facile dissolvenda pseudomembrana tecta invenerunt, sub qua membrana pituitaria paullulum tantum rutilata erat. Etiam in nonnullis gutturis locis similes substantias invenerunt, nec vero eas ibidem ubi in gula erant; at-

que hic per tres ante mortem dies deglutitio impedita fuerat. Sed haec diphteritidis cum gangraena oris coniunctio fortuito effecta est et raro exsistit.

Ac gangraena si coërcetur, nascitur margo rubicundus, qui gangraenosam substantiam reiicit itaque limites morbi instituit, quum circa ardor et rubor et sensibilitas nascantur. Sed haud raro evenit ut gangraena hos limites transiliat, effusaque nec coërcenda latius pergat, donec infans prorsus confectus moriatur.

Causae dein huius morbi usque ignotae sunt. Gangraena non inflammatione praeeunte efficitur, sed in genere gangraenarum spontanearum habendà est et posita in vitalitate valde debilitata, qua in re conditionibus usque ignotis vasa oris iam non nutriuntur itaque celeri dissolutione corripiuntur. Infantes qui in hunc tristissimum morbum incidunt, fere semper pauperum sunt parentum, versantur in depressis et humidis habitaculis in regionibus aquosis, aluntur victu tenui et minus idoneo. Etiam in àridis regionibus post inundationem aquarum hoc malum saepe nascitur. Is quoque infans de quo in hac urbe rem expertus sum, erat in aedibus admodum famosis et immundis; cloacae tam imperfectae erant, ut intra eos dies per quos curationi infantuli operam dedi duo ibi homines cloacarum gase pestilenti inficerentur. Continui imbres, inundatio Salae sequente gravi aestu in idem tempus inciderunt quo infans morbo affectus est.

Mirum videtur quod simul soror natu minor stomacace satis acri vexabatur, qua in re etiam gena tumescebat.

Gangraena oris quamquam non ad unam tantum certam aetatem pertinet, tamen frequentissime inter 2. et 5. aetatis annum invenitur. Ex 29 aegrotis quos commemoravere Rilliet et Barthez, 19 fuerunt inter 2. et 5. vitae annum, 10 inter 6. et 12.; idem probatur comparatione quam Tourdes instituit de 102 aegrotis inde ab $1^1/_2$ usque ad 12. annum. Raro noma nascitur in infantibus quorum valetudo morbo debilitante nondum fracta est. Antea plerumque scrophulis, dysenteria, tussi convulsiva, intermittentibus et remittentibus febribus, exanthematibus febriculosis afficiuntur, quae latissima sunt et maximam imbecillitatem efficiunt; quin post morbillos, ecthymata, febrem scarlatinam cancer aquaticus metastatice exoriri et tum periculosissimus esse videtur. Imprimis post omnes morbos quibus temperatura sanguinis mutata est, solet noma exsistere; qua de re multi censent medici hunc morbum ut similes cutis et pudendorum affectiones in sanguinis morborum genere esse habendum. Ex 29 gangraenis oris, quas Rilliet et Barthez observarunt, una tantum idiopathica esse visa est, 12 post morbillos, totidem fere post typhum exstiterunt, ceterae in febri confectis aut tuberculosis infantibus acciderunt, quorum noma post ulceratam stomatitin nata est. Propter has plures efficientes causas Richter tria genera statuit,

nomam scorbuticam, nomam gastricam, nomam metastaticam; has vero gravius inter se discrepare noli existimare. Haec divisio quamquam fit secundum levia discrimina, tamen a multis medicis recepta est. Nec negari potest praecipue incipiente morbo discerni posse singula genera; quin vero Richter aptissime nomina elegerit pallulum dubitandum videtur; nam de sorbutica noma facile quis existimaverit hanc effici scorbutico morbo universali, id vero nequaquam sic se habet, quum scorbutus nunquam exoriatur in infantibus.

---

1. Cancer scorbuticus.

Eo nomae genere quod scorbuticum vocat Richter, revera gingiva primum et gravissime morbo corripitur; est vero unus idemque morbus, modo qui hic in gingiva primum appareat, aliter autem in gena initium capiat. Ac gingiva gravi odaxismo afficitur, ardet, uritur, purpuratur, tumescit, vel leviter tacta sanguinem effundit, colore fusco-viridi inficitur, dein speciem spongiosam prae se fert, interdum a dentibus recedit, qui eam ob causam protensi videntur, postremo magna multitudine phagedaenarnm minus altarum et inflammatarum, valde sensibilium, inter se confluentium, immundam radicem adiposam habentium tegitur. Brevi plerumque etiam labia

interna, lingua, genae, palatum redduntur admodum sensibilia eademque ratione immutantur qua gingiva. Vitio ulterius crescente vel amygdalae colli, mollis superficies palatina, omnino posteriores faucium partes corripiuntur; manducatio, deglutitio, loquela, respiratio mox valde difficiles redduntur; magna continuo salivae copia ex ore profluit, laxi dentes excidunt. Urina est coloris rubicundi et saepe tam caustica ut ibi excoriationes et ulcera efficiantur. Etiam faeces acres saepissime anum attritu sauciant. Hoc genus multo tardius progreditur quam duo cetera.

---

2. Cancer aquaticus gastricus.

Valetudine totius corporis — ut in primo genere accidere supra commemoravimus — non multo ante perturbata, post signa quaedam praeeuntia, quibuscum aphthae coniungi solent, gangraena in hoc altero genere primum non in gingiva sed in interno genae aut anguli labiorum oris latere initium capit, et tum demum ubi latuis crevit gingivam corripit. Signis quae commemoravi exortis, apparet in ore macula alba, fere abscessus hypopii speciem praebens; mox vero nigra, livida eschara gangraenosa tegitur. Purulescentia sub hac exorta dein celeriter ulterius tendit, labia, lingua, genae, nasus eius-

que ossa afficiuntur quae paullatim putrescunt et particulatim decidunt, ita ut maxillae, dentes, postremo totum os amittantur. Una cum illis quae in cavo oris accidere dixi, saepissime postquam facies lurido colore inducta est, in genis videntur papulae livido-nigrae, acus orbiculum acquiparantes, quae brevi post augentur et in gangraenosam saniem abeuntes verum cadaverum foetorem excitant, ac genis dein perruptis cum internis ulceribus coniunctae omnia dissolvant. Eodem tempore interdum in compluribus corporis partibus lividae maculae nascuntur. Viribus magis magisque confectis, quum genua et pedes saepius oedematose tumescant et tam sensibiles reddantur ut vel mitissimus attactus ferre nequeat, aegroti moriuntur.

---

3. Cancer aquaticus metastaticus.

Cancer aquaticus metastaticus ea potissimum re ab altero genere discrepat, quod ei antecedit acutum exanthema vel febris. Rarius gangraena humida nascitur, sed plerumque mummificatio quam vocant accidit; quare etiam ulcus spacelosum saniem secernens, ut fit in cancere aquatico gastrico, hic exoriri non videmus. Sed exsistit durus tumor asthenicus in cavo oris, quo in loco externo nodulus sentiri potest. Ac gangraenosus locus rubro

margine cingitur. Si hic quoque malum coërceri nequit, moritur infans aegrotus inter diarrhoeas colliquativas.

Diagnosis morbi, dum noma non abiit in sphacelum latius pertinentem, admodum difficilis est, et facillime hac vitium cum aliis morbis similibus confunditur. Stomacace et noma eo modo distant ut illa plerumque epidemica, haec sporadica sit; ut illa non solum cachectici, sed etiam validi et infantes et adulti afficiantur, ad hanc efficiendam dyscrasia humorum opus sit. Dein stomacacae stadia prodromorum perspicua sunt, nomae raro signa; illic morbus plerumque in gingiva hic in membrana genae exoriri solet; illic inveniuntur multae vesiculae in rubro solo positae, hic una tantum vesica ichore impleta; illic morbus initio magis in superficie et tardius progreditur, hic inde ab initio malum altius penetrat omnia dissolvens ac celerrime gradum corripiens. Illic porro dissolutio exulceratione efficitur, ac saepius sanguis effunditur, hic necrotica evenit dissolutio nec sanguis profluit, illic ulcera dolorosa sunt et contagiosa, hic facile feruntur nec contagiosa sunt. Stomacace sanatur crisibus ad totum corpus pertinentibus, hic ejusmodi res omnino non accidit, illic medicamenta magnam in morbum vim exercere solent, hic saepe omnino nullus medelae secundus eventus cernitur. Stomacace ex centum hominibus fere quindecim, noma nonaginta interficiuntur. A scorbuto differt noma propria origine et exitu. Scorbutus pete-

chias et spongiosam gingivae solutionem efficit, quae res non minus quam passivae scorbuti haemorrhagiae in noma desunt. Saepissime cum vera gangraena, cujus rara sunt signa, ea faciei gangraena confunditur, quae salivatione mercuriali infantulorum interdum efficitur ac velociter augetur. Os et genae tum tumescunt colore purpureo, ac vel adhibita maxima cura omnique opera data gangraena prius non coërcetur quam omnia quae rubicunda tumuerunt dissoluta sunt; hoc malum multo acerbiores cruciatus efficit quam noma, ac infantes tum demum postquam incredibili modo vexati sunt moriuntur. Hanc quoque gangraenam oris mercurialem nonnulli medici nomam vocant eamque proprium nomae mercurialis genus esse volunt. Sed E. Blasius, qui utrumque gangraenae genus, et cancerem aquaticum verum et gangraenam mercurialem saepius cognovit, naturam earum inter se multum differe censet, concedit tamen diathesin eandem esse posse, quum ii quoque infantes qui hydrargia confecti sint, imbecilli et tumidi fuerint et pauperibus parentibus usi.

Prognosis fere nunquam secunda est; quo minor natu infans et mollior est, eo magis summum periculum metuendum est. Neonati noma affecti semper moriuntur quum hic telae propter teneritatem et laxitatem facillime dissolvantur. Idem accidit infantibus, quorum corporis constitutio praecedente aliquo morbo nimium infirmata est. Ac fere omnes medici, quibus hujus morbi cognoscendi

facultas data est, eum plerumque morte finiri experti sunt. Sic inter 21 aegrotos quos Rilliet et Barthez observaverunt, 20 mortui sunt. Tourdes dein, qui 239 huiusmodi casus collegit — insunt antem complures adulti homines pui huc non pertinent — tradit ex iis 176, itaque inter tres quatuor fuisse mortiferos.

Ad sanandum dein opus est primum ut diligenter removeantur omnes causae occasionales, itaque aegrotus transferatur in aërem serenum, purum, siccum, accurate nutriatur in salubri et sicco habitaculo, corpus eius ipsum et aedes accurate immunditiis purgentur. Ubi est turgescentia gastrica, emetica optime adhibetur, qua iam ea de causa saepe opus est, quod infantes continuo salivam acerbam deglutiunt. Eadem de causa alvi adstrictio clysterio atque etiam catharticis infirmioribus tollenda est. Praeterea id potissimum spectandum est ut vires augeantur, ad quam rem aptissimus est chinae succus decoctus, in pulvere deglutiendus atque etiam syringa clysmatica injiciendus, dein ius carnium ovo mixtum. Maximam autem internam vim antisepticam imprimis ubi iam febris exorta est, hic quoque exercet acidum pyrolignosum crudum; aut praescribenda est china cum aethere, aqua chlorata, acidis mineralibus, imprimis ferro muriatico; dein infantes balneis medicatis herbis aromaticis lavandi sunt. Si morbus satis mature cognoscitur, ita ut sordida illa macula adhuc appareat, remedia externa adstringentia fo-

mentis adhibita ad coërcendam gangraenam sufficere dicuntur, ut cuprum, alumen, plumbum, alcohol. Plerumque autem dissolutio iam exstitit; et tum videndum est utrum proximae partes admodum sensibiles sint necne. Illud si invenitur, acidis mineralibus non cauterisandum est, sed potius liquato lapide infernali (20 gr. in ℥I); aut involucra acidi pyrolignosi crudi adhibenda sunt; hoc si est, optime praescribitur acidum muriaticum vel purum vel penicillo illinendum (℈I — VI) acid. muriat. mit. (℥ß) oxymel squilliticum; aut scarpia imponitur, acri calcii chlorati (℥j — IV in aquae ℥ IV — VIII) liquamine imbuta, quin cauterio uti licet, ac vel acido sulphurico concentrato, si periculo iubetur. Semper autem locus cauterisatus tepido cataplasmate tegendus est, ut ita in limitibus gangraena substantia gangraenosa segregetur. Ac gangraena si mature finibus coërcetur, sanatio exiguae turpitudinis specie relicta effici potest; si vero latius perrexit, teterrima deformitas relinquitur; ac si maior faciei pars corrupta est, curatio exsistere nequit, sed aegroti paullatim, suppuratione ichorosa durante, saepius post complures demum menses mortem subeunt.

Vita.

Ego Ludovicus Guischard natus sum Ascaniae mense Aprili anni MDCCCXXIX., patre Augusto Guilelmo Guischard et matre Christiana ex gente Caesar, quos morte mihi ereptos jam dudum lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Frequentavi per plures annos scholam latinam Halensem, quae sub directore Eckstein floret, unde cum testimonio maturitatis dimissus auctumno anni h. s. quinquagesimi academiam Fridericianam adii, receptus vero sum inter cives academicos ab ill. Volkmann t. t. prorectore.

Per quatuor annos hisce interfui scholis: Beat. d'Alton de anatomia corporis humani, de anatomia generali, de arte cadavera rite dissecandi, anatomia comparata. Beat. Friedländer de encyclopaedia. Beat. Germar de mineralogia. Beat. Steinberg de chemia organica et anorganica, de venenis metallicis, de pharmacia. Ill. Cornelius de physice et meteorologia. Ill. Erdmann de psychologia. Ill. Allihn de logice. Ill. Volk-

mann de physiologia et historia generationis. Ill. de Baerensprung de pathologia et therapia speciali et universali, de auscultatione et percussione. Ill. Krahmer de pharmacologia, de arte medicas formulas conscribendi. Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali. Ill. Hohl de arte obstetritia. Ill. Blasius de chirurgia akiurgia, de operationibus ophthalmiatricis, de instrumentis chirurgicis. Scholis clinicis interfui medicis Krukenbergii, chirurgicis Blasii, obstetriciis Hohlii.

Quibus omnibus de me optime meritis viris gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico examineque rigoroso hic superatis spero fore ut summi medicinae honores rite in me conferantur.

Theses.

I.

Generis humani studio imitandi saepius morbus efficitur.

II.

Peritonitis interdum idiopathica est.

III.

Necrosis operatione multo melius sanatur quam quavis alia curandi ratione.